

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker/ I.U.D. P.P. ...  
Ad exequias, quas ... Matronae Annae Slutoviae, Vir ... Dn. Andreas Wolff/ Urbis  
huius Senator eximus, nunc Viduus moestissimus ...hodie ... paratas cupit,  
Omnium ordinum Civis Academicos ... invitat**

Rostochii: Kilius, [1667]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774758252>

Druck    Freier  Zugang



LB FP Schlutow, Anna 1667

Redeker, H.R.,

in

A. S l u t o v ,

uxor. A. Wolff.

Rostock. 1667.

12.







RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**HEINRICUS RU-  
DOLPHUS Redeker/**

J.U.D.P.P. Sereniss. Ducis Mechl. Consil.  
Consistorii Ducalis Assessor,

Ad exequias,

quas

Ernatiſſime Praeſtantissimæq;  
MATRONÆ

  
**ANNAE SLU-  
TOVIAE,  
VIR Prudentissimus Spectatissimusq;  
DN. ANDREAS  
Wolff/**

Urbis hujus SENATOR eximius,

nunc Viduus moestissimus

In Æde D. MARIAE sacrâ, hodie Horâll.  
pomerid. paratas cupit,

Omnium ordinum CIVIS ACADEMICOS, omnesq;  
præterea literatos, & literarum Fautores,  
officiosè ac per amator invita;

---

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILI, Acad. Typogr.



Et quidem cetera profecto maximus  
gravissimusque Auctor THUCYDIL-  
DES; sed unum in ipso joculare est  
ac perradiculum, quod nolit Virgini-  
num Feminarumve ullam publici-  
tus laudari, si vel maximè virtutibus  
sib[us] suis devinxisset REM PUBLI-  
C A M (quis enim id fieri posse, soe-  
piusque factitatum, negare suffine-  
at?) aut reverentia, pietate, officiis,  
quicquid est unquam D E O R U M (ita loquebantur Gentili-  
les), hominumve demeruisse. Suggestum, si, quando-  
quid fors pro honore Femineo dici asserrivè oporteret, id  
omne domesticis parietibus, ceu claustris quibusdam suis,  
contineretur. In causam stolidissimi adserit alibi inquirere,  
qui cādem allegare operā meminimus, quæ deliræ opinio-  
ni forent confutandæ. Hodierni funeris occasione, quam  
minimè vel rideat, vel sēdeat nobis THUCYDIDIS sententia,  
reapse ostendemus: non obseratur domi certè, aut in angu-  
ilos protrusuri A N N A M SLUTOVIAM; sed & ipsam, & unā  
virtutes ejusdem laudesque clarissimo Soli exposituri. Utin-  
què enim, Exempla virtutum publicitus recitari interest, ut  
sint ceu speculum, in quod ceteri curatissimè intueantur;  
vel norma sint atque regula, ad quam vitam quisque suam  
moresque componat. Est enim dictu prorsus incredibile,  
quanta

quanta in exemplis insit persuadendi docendivè potentia.  
Nec temerè ad virtutem quis venerit methodo compendio-  
fiore, quām si jugiter o' oculos tibi animumquè ponat, qui  
parile institutum sectati sint, morumquè adeò atque hone-  
statis nobis præiverint viam. Nata itaque est Matronarum  
Præstantissima hic ROSTOCHI, Anno seculi hujus 14, die 28.  
Maij; Patre quidem VIRO honoratissimo D N. HERMAN-  
NO SCLUTOVIO, Cerevisario ac Negociatore eximio;  
Matre verò Feminâ ornatissimâ, MARGARITA NETTEL-  
BLADIA, DN. JOACHIMI Nettelblatten / Templi Petri  
quondam præfecti vigilantissimi, Filiâ. Continuò post na-  
tivitatem, interventu divinæ aquæ, salutarisquè adeò bapti-  
smatis remedii ab adhærentibus vitiis probè purgata,  
CHRISTO què ac Ecclesiæ ejusdem inserta est. Hoc uti ita-  
fieret, princeps parentum optimorum cura fuit. Altera, uti  
eximiè decenterquè ac piè educaretur. Ceterùm, DEO  
ita disponente, factitatum, uti bimula saltē quām foret  
NOSTRA, Pater fato fungeretur, diemquè obiret suum.  
Mater verò alteris nuptiis implicaretur. Unde sub Tutori-  
bus, vitam iussa degere, sic se, & horum providā curā, &  
suaptè sponte (inerat enim, vel per ipsam naturam, elegan-  
tior indoles) gessit certè, uti minimè in pejus cotidiè ruentis  
seculi moribus conformaretur, imposturis ac fraudibus ad-  
fvesceret, somnolentiaz atq; desidiaz operaretur; sed magno  
potius conamine domum addisceret gubernare, providere  
familia, superioribus dicto esse audientem; amare modesti-  
am, pudorem sic adserarc, uti ne visu quidem delibari pa-  
teretur; à petulentiâ, levitate atq; lasciviis liberam prorsus  
atq; immunem esse: omne nequam atq; flagitium pejus cane  
& ange odisse. Hasister operas meditationesq; quām adolo-  
sceret, foretq; annorum jam XXIV. facilè sui amatorem re-  
perit, despontataq;, circa ipsa S. MICHAELIS solennia, VIRO  
est ac

est ac Civi nostrati præstantissimo, DN. JOACHIMO LINDEMANNO: Cui pacatè deo reque cohabitavit; quin & duos peperit filios, JOANNEM & JOACHIMUM; quorum ille Scholæ huic oppidanæ concreditus, eò succereverat in studiis literatum usq; uti ante hos decem annos ad exterorū lese conferret, & ad Brunsvincens quidem, amplius proficiendi gratiā, ablegaretur: Quanquam toto eo tempore, qualiter cum JUVENE gereretur, cognoscere satis accuratè Parentes nequiverunt. Iste ante triennium jam ferè, quum initio HAMBURGI, dein AMSTELODAMI Aromatariis servisset, mortalium numero, non sine singulari Matris, quin & Vetricidolore, exemptus est. Ceterum SLUTOVIA nostra priori matrimonio jam nuda, ad secunda vota transiit. Neque enim in alteris nuptiis quicquam arbitrata est vitii esse (quanquam id veteribus nonnullis creditum utiq; & TERTULLIANO præcipue ad severatum est) & ceteroquin causas habere visa est satis validas prægnantesq; ob quas cælibe statu minimè permaneret. Juncta est itaq; Anno 1641. die 9. Nov. VIRO Prudentissimo Spectatissimo q; DN. ANDREÆ Wolffen/SENATORI oppidano eximiè merenti; fausto planè ac felici fidere. Enim verò tantā hi conjuges invicem vixerunt concordia animorumq; conjunctione, eo sanctissimo amore intense amarunt, ut, quamvis uterque niteretur ad summum, neuter tamen vinceret ac superaret. Quicquid vel ex cogitari officii ac benivolentia poterat, id in alterum alter ultrò lubensq; conferebat. Hoc unum dolere adverteres, quod ipsam etiam animam communicare invicem nequirent. Quæres & ipsi simet plurimum gaudii innocentissimæq; voluptatis, & silentibus profecto etiam multum delectamenti subindè præbebat. Sed & stabilis satis iste nexus fuit, ut qui toto XXV. cum dimidio, perdurârit annos. Denique nec improlis torus extitit: Nati enim, stante eo, sunt filii duos;

& una

& una filia: ANDREAS scilicet, Anno 42. 30. Dec. MARGA-  
RITA, Anno 48. 27. Januar. & DAVID Anno 49. 22. Dec. *ille*  
elegantissimus doctissimusq; JUVENIS, juris humaniorumq;  
literarum studiis antehac in illustri *Helmeſtadiensiſum*, nunc ve-  
rò in hac patriâ Academiâ singulari conamine atq; industriâ  
operator; futurus, sine dubio, si (quod animitus precamur)  
supervixerit, decus familiæ patriæq; ornamentum. Parenti  
certè jam tum est in deliciis, & grande solatium præbet. *Iſta*  
(Filia sc.) Præstantissimo doctissimoq; DN. VINCENTIO  
FRIDERICI, Nobiliſ. statuum Provincialium Secretario,  
Anni præcedentis die 14. August. elocata. *Hic* menses saltem  
aliquot natus, repetiit originem, cæloq; suo, undē venerat,  
restitutus est. Non minuta itaq; aut contemnenda tori hu-  
jusce fuit felicitas, ut quæ tribus integris, iisq; eximis pun-  
ctis absolveretur. Quanquam DN. MARITO omnium ma-  
xime ridere fecit conjugium absolutissima illa SUÆ virtus vi-  
taq; integritas. Pietatis ante omnia, tanquam ceterarum  
virtutum Reginæ ac Principis, erat semper studiosissima. Nil  
domi sua auspicabatur unquam ante, quam precibus, Biblio-  
rumq; sacrorum lectione probè se munisset. Gnara utique  
& omnino arbitrata, nullam rem successu carituram suo, quæ  
DEO caperet duce atq; Auctore initia. Sanè etiam, dum  
jam operi instaret, interq; vel pensa colusq; hæreret, aut ce-  
teris negotiis privatis irretiretur, simul de divinis, & præci-  
puè quidem, agebat loquebaturq;: Et magno præterea co-  
namine ea adibat loca, in quibus DEI oracula publicitus ce-  
lebrarentur. Neq; enim perdere sese tempus, sed lucrariau-  
tum abat, quod DEO impenderet. Hinc adeo sacris Conciona-  
bus, nisi forte valetudine attineretur, abesse nunquam visa-  
est. Neq; enim ullum sibi temere *ἀργόαμα* jucundius esse, lu-  
bens profitebatur. Sacris divinisq; misteriis usq; est frequentis-  
simè, in animæ salutem, fidei q; stabilitamentum. Et quum erga  
DEUM.

DEUM hoc adfectu foret, noluit etiam detiore esse erga proximum. Quem utiq; amare depreensa, sicut semet ipsam, est; cuius difficultatibus mederi, levare inopiam, inter præcipua vita morumq; suorum decora jugiter numeravit. Calanitates certè atquè miserias seculi non alio ex fonte derivasse intellecta est, quām quod neglectis adeo aut prolapsis pietatis rebus, insuperq; habito amore proximi, in omnis generis flagitia, odia, avaritiam, immisericordiam, non sensim aut pedetentim, sed concitatō quasi cursu hodiē rueretur. Ceterū luxerant in FUNDCTA plures adhuc virtutes aliae. Temperantem atq; frugalem extitisse sic compertum est certè, uti exemplum non abs re quoddam esse ibi aliis posset. Demissionem animi humilitatemq; ita adamabat semper, uti de principatu cum nemine mortalium contenderet, facile cuivis, etiam longè cederet minori. Veritatis adeo amans studiosaq; erat, ut nec joco meritiri sustinere. De absentibus præclarè semper, etiam de iis non penitus male loquebatur, qui ceteroqui non admodum belle de fesse mererentur. Domi jugiter hærere, & rem agere suam conspecta est. Nisi forte, uti aliquandò prodiret in publicum, extremā necessitate urgeretur. Oderat itaq; impensè, quæ è circumcursitantium aut extravagantium numero forent, quibusq; omnis omnino in garriendo, traducendoq; aut denigrando proximo, virtus consisteret. Quod profecto quām non admodum in nostratis mulieribus infrequens est vitium, sic auctorem non habet alium, quām ipsum orcum atq; Diabolum. Utiq; cum quævis alia sexum feminine commendant illustrantq; tūm misericordie id faciunt piceæ nates, parciorq; ac verecundior, quin vel in ipsum ruborem composita lingua. Forent certè longè plura majoraq; quæ commentari in honorem SLUTOVIAE laudemq; liceret. Sed suffictura arbitramur, quæ hac proferre vice adlubuit, quorumq; facere ad minimum mentione oportebat, cūm uti FEMINÆ laudatissima indoles saltem ex parte cognoscetur;

tur; tūm uti manifestum fieret, non omnia apud veteres (quod  
jam maximus ac *πλινθώτας* TACITUS suo inquietab *ενο*)  
esse meliora; sed nostra etiam ætate laudum esse argumenta  
posse. Non effictum seculum esse nostrum gignendis VIRTU-  
TIBUS; Non habere solam Antiquitatem, quas ostentet, *Marc*-  
*ellas, Paullinasq;*; Nostra etiam tempora gignere identidem,  
quaæ harum virtutem vel æquent, vel & supergrediantur.  
Sed veniemus tandem ad ea, quaæ & finem FEMINÆ, & scriptio-  
ni etiam imponant. Octennium est ipsum, ex quo conflictari-  
cum membrorum non leví, nec penitus curabili imbecillitate  
cœpit. Nam quanquam respirare subinde visa est, non stetit  
tamen firmo satis valetudo ab eo tempore tibicine, sed relapsa  
identidem in prius pejusq; Ante mensem unum itemq; alterum  
correpta ardenti febri est; quaæ tamen sede moveri suâ, penitusq;  
exesse animadversa. Die abhinc octavo insperato prorsus adeoq;  
acri vehementi q; iterum morbo infestabatur, uti omnis omnino  
in Medentibus (usa autem præcipue valetudinis suæ administrò  
est Excellentissimo & Experientissimo VIRO, DN. D. JOANNE  
BACMEISTERO; P. P. Collega ac Compatre nostro honora-  
tissimo) cura atq; industria nequicquam foret. Itum igitur ad  
cælestia subsidia; cursitatum ad procurandam animæ (quum  
corpori nulla fieri amplius quiret) salutem, nihilq; actitatum,  
studiosius, quam uti erroribus illa suis exsolveretur. Qua fini-  
eriam accersitus est, VIR pl. Reverendus & Excellentissimus, DN.  
HINRICUS MILLERUS, Th. D. & Prof. celeberrimus; quin-  
& ad Div. MARIÆ Pastor; Collega & Amicus noster conjunctissimus;  
qui decumbenti & propediem moriturae sacram admini-  
stravit Synaxin; & dein preces præivit, quas non tantum ipsa  
voce pariteratq; anlmo subsecuta est, verum etiam suopte mor-  
tu (erat enim Spiritu DEI plenissima) addidit, ampliusq; inge-  
minavit: Meinen Jesum lasse ich nicht etc. It. HErr wann  
Ich nur dich habe etc. It. Christi Blut und Gerechtigkeit ist  
mein:

**Mein Schmuck etc.** Mansitq; in ea animi fiduciâ, speq; certissimâ salutis, usq; ad lapsum proximè diem Dominicum i. e. 28. April. quo ipso 3. & 4 intermatut. placidè in DOMINO expiravit. Sanè enim dubitandum est nihil, quin, ut piè, christiane, honesteq;, imò, quod diximus, in exemplum prorsus vixerat; ita beatissimè de vita hujus calamitosissimæ statione, ad veram illam & longè felicissimam vitam translata, svaviter nunc cum DEO immortali & beatissimis mentibus ævum agat, & non enarrandis æstimandisq; gaudiis perfruatur. Quod etsi absq; insigni DN. MARITI mœrore ac luctu contingere nequit (quid enim vel excogitari acerbius possit, quam si tam firmo nexu juncti, tamq; sanctissimè inter se amantes, necessitate ultima divellantur) ferendum tamen id fuerit; quando non est nisi stulti aut impii certè, rixari cum cælis aut indignari DEO velle. Cogitandum, hanc UNIVERSI pervetustam esse legem, ut, quodcumq; caperit, idem aliquando desinat, finemq; sortiatur suum. Ceterum quum hodie supremum exequiarum honorem SVAVISSIMÆ sua præstare DN. MARITUS decreverit, hortamur, CIVES ACADEMICI, impenseq; invitamus, uti eximio funeri copiosè interesse, & deducendo prolixè operari velitis. Meretur id genus benivolentia dicti DN. VIDUI in ordinem nostrum propensior adfectus: Meretur FILII GENERIq; erga eundem respectus & observantia. Omnium autem maximè meretur FUNCTÆ tantoperè deprædicata abs nobis & clarissima VIRTUS. Imò ipsa vos humanitas vestra, uti non segnes in officio deprehendamini, admonere poterit, & debebit.

P.P. sub Sigillo **RECTORATUS**  
Anno 1667. die 2. Maij.

**Convenietur in Æde Marianâ  
hora I. pomerid.**












Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn774758252/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774758252/phys_0016)



& una filia: ANDREAS scilicet, Anno 4.  
 RITA, Anno 48. 27. Januar. & DAVID  
 elegantissimus doctissimusq; JUVENIS,  
 literarum studiis antehac in illustri Helme-  
 rō in hac patriā Academiā singulari co-  
 operatur; futurus, sine dubio, si (quod  
 supervixerit, decus familiae patriæq; or-  
 certē jam tum est in deliciis, & grande s.  
 (Filia sc.) Præstantissimo doctissimoq; I.  
 FRIDERICI, Nobiliss. statuum Prov.  
 Anni præcedentis die 14. August. eloca-  
 aliquot natus, repetiit originem, cælo  
 restitutus est. Non minutaitaq; aut c.  
 iusce fuit felicitas, ut quæ tribus integr.  
 tis absolveretur. Quanquam DN. M.  
 aximè ridere fecit conjugium absolutissi-  
 mæq; integritas. Pietatis ante omnia,  
 virtutum Reginæ ac Principis, erat sem-  
 domi suæ auspocabatur unquam ante, quæ  
 rumq; sacrorum lectione probè se mun-  
 & omnino arbitrata, nullam rem succes-  
 DEO caperet duce atq; Auctore initia-  
 jam operi instareret, interq; vel pensa co-  
 teris negociis privatis irretiretur, simu-  
 puè quidem, agebat loquebaturq;: Et  
 namine ea adibat loca, in quibus DEI  
 lebrarentur. Neq; enim perdere sese te-  
 tumabat, quod DEO impenderet. Hinc  
 bus, nisi fortè valetudine attineretur, a-  
 est. Neq; enim ullum sibi temerè ægrotau-  
 bens profitebatur. Sacris divinisq; misse  
 simè, in animæ salutem, fidei q; stabilim-



MARGA-  
 . Dec. illi  
 niorumq;  
 ,nunc ve-  
 ,industria  
 recamur)  
 . Parenti  
 cebet. Ifla  
 ENT TIO  
 ecretario,  
 es saltem  
 è venerat,  
 a tori hu-  
 miis pun-  
 nium ma-  
 virtus vi-  
 terarum  
 sima. Nil  
 is, Biblio-  
 tra utique  
 n suo, quæ  
 am, dum  
 et, aut ce-  
 , & præci-  
 eterea co-  
 licitus ce-  
 uerari au-  
 Conciona-  
 uam visa-  
 esse, lu-  
 equentis-  
 um erga  
 DEUM

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No.